IOANNIS LORINI SOCIETATIS IESV,

IN ACTVS APOSTOLORVM COMMENTARIA

Recognita, correcta, reſtituta, locupletata.

Quibus duo INDICES *acceſſerunt; alter, S. Scripturæ locorum illuſtrium; alter rerum, & cuiuſcunque generis verborum, ſententiarúmque, ac phraſeon diuerſarum, quæ in hoc opere vel continentur vel explicantur.*

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Sumptibus Horatij Cardon.

Anno MD...

esta expurgado por mandado del S.to officio conforme el expurgatorio nuevo de 1632 ...
es dela Libreria de ... del monte de ...

co de Dema, quem perperam Dorotheus *a* niſi duplicem Demam fingat, ait *poſt diſceſſum a Paulo factum Theſſalonicæ ſimulacrorum Sacerdotem*: hic potuit intra biennium, quo Paulus manſit primo illo aduentu, & abiiſſe, & rediiſſe; quo tempore adhuc manebat cum Paulo Lucas. Nam exacto ſaltem biennio, ſi non ante, credimus Lucas Vrbe diceſſiſſe negotij Eccleſiaſtici, ſeu rei Chriſtianæ cauſa.

Abſoluit autem ipſe Hiſtoriam iſtam, nihil dicens de iis, quæ colligi docuimus ex Pauli epiſtolis Paulo eueniſſe Romæ, tempore primorum vinculorum, quibus adde ad eundem, aduentū Epaphroditi, *quem Philippenſes, quorum erat Epiſcopus, miſerunt cum pecunia* b: præterea Oneſiphori ex *Iconio, qui refrigerauit ibidem Paulum, non erubeſcens catenam eius* c: de his, inquam, Lucas non meminit, quia vel tamdiu Romæ non manſit, vel vinculis Pauli miniſtrans; vel multiplici negotio vacans, quod eiuſmodi tempore pene vni, ac ſoli ipſi gerendū erat *d*, otium plura ſcribendi non habebat nec Romanis, quibus nota erant quæ Romæ fiebant, & in quorum gratiam cæteram Hiſtoriam ſcribebat, aliud præterea ſcribendum ducebat.

Romæ Paulo relicto abiiſſe cum Ariſtarcho, quem Paulus *concaptiuum* nominat *e*, Lucam tradit Oecumenius, & Metaphraſtes *f* profectum Thebas Bœotiæ, Hieronymus *g* in Bithyniam. Sed nos nunc non perſequimur res Lucæ. Quæ autem ſub Lini nomine traduntur de Paulo cum Petro, nec fidem certam obtinuerunt, & à poſteriore Pauli in Vrbem aduētu ſumunt exordium, ſicut & de familiaritate Pauli cum Seneca, epiſtoliſque hinc inde datis, de quibus alibi diximus poſt Hieronymum *h*, & Auguſtinum *i*, præter modo citatum Linum.

Monui ſuperius, Vdalricum Velenum perfricta fronte auſum negare Petrum Romæ fuiſſe, id Marſilius de Padua *k* aliquot ante ipſum Centurijs negauerat: & quia Paulum Canonicus hic noſter liber ibi verſatum confirmat, affirmabat illū vrbis Romæ, non Petrum Epiſcopatum geſſiſſe, quo nihil ineptius: quamuis dempta primatus, & huius Romani, & vniuerſalis Epiſcopatus in Petro prærogatiua, paria fere omnia de vtroque prædicant Patres, vt proprio de hac re ſermone demonſtraui. Nec aliter Epiphanius *l*, ambos vocans *Romanos Epiſcopos*, intelligendus eſt, quam propter functiones Epiſcopales, quas vbique licuit Paulo obire, etiam Romæ. Sed ſalua dicta Petri prærogatiua capitis.

Et lætor ſane hic, vbi caput Eccleſiæ præſidet & Petrus, ac Paulus iacent, Paulique maxime hiſtoriæ ſcriptor, atque comes Lucas verſatus eſt, & in Petri baſilica conditum caput habet, à Gregorio magno cum eſſet apocriſarius, Conſtantinopoli allatum, finem à me imponi, tam prolixo, moleſtoque commentario: ibi etiam, vbi Lucas idem Hiſtoriam iſtam vel compoſuit, vel abſoluit (*quod ſcriptionis genus virum decet Eccleſiaſticum, & longius diſtat ab inuidia, quam narrationes ciuiles* m) Paulumque, vinctum licet, in Regia locauit vrbe, qui vinculis illis ſuis ad Chriſtum multos attraxit, vinxit, vicit.

Deo laus, & gratiarum actio, atque beatæ Virgini, tum Apoſtolis, potiſſimum Petro, ac Paulo, ipſique Lucæ, quos apud Deum hoc Opus & inchoandi Auctores, & perſequendi, atque conficiendi mihi adiutores, quemadmodum ego illos precabar, fuiſſe non dubito. Amen.

Deo Ieſu Chriſto Æterni Patris Æterno Filio laus, & gloria.

De Dema ...

b Philip. 4. 18.

c 2. Timoth. 1. 16.

Cur Paulus non meminit ...

Lucas relicto Paulo Roma diſceſſit.

h de Scriptor. Eccleſ. in Seneca.

i epiſt. 54.

Petrus an Romæ fuerit qui dubitent.

l Hæreſ. 27.

m Sidonius Apollinaris lib. 4. ep. 11.

Typo-